



# De organisatione studii Iuris Canonici in Polonia contemporanea

Remigiusz Sobański

## 1. FACULTATES IURIS CANONICI.

In Polonia existunt duae facultates iuris canonici, scilicet in Catholica Universitate Lublinensi<sup>1</sup> et in Academia Theologiae Catholicae Varsaviae<sup>2</sup>.

a/ *Facultas Iuris Canonici Catholicae Universitatis Lublinensis*<sup>3</sup> condita fuit anno 1918, ab anno 1920 gradus academicos in foro ecclesiastico vigentes confert, ab anno 1938 gradus a Facultate hac collati pleno iure in foro statali gaudent. *Facultas lublinensis* octo cathedris constet: iuris ecclesiastici Poloniae, prima, secunda, tertiaque

1. Uberrimae informationes de historia et structura Catholicae Universitatis Lublinensis inveniri possunt in libro iubilaei universitatis anno 1968 decem lustra celebratis: *Księga jubileuszowa 50-lecia Katolickiego Uniwersytetu Lubelskiego*, praca zbiorowa, Lublin 1969, p. 375.

2. Largam notitiam Academiae Theologiae Catholicae, eius originis, organisationis vitaeque praebet liber occasione vigesimi anniversarii academiae editus: *XX lat Akademii Teologii Katolickiej. Księga 'Pamiętkowa 1954-1974*. Warszawa 1976, p. 456.

3. *Historiam Facultatis Iuris Can. Univ. Lubli-*

*textus iuris canonici, iuris publici ecclesiastici et fontium iuris ecclesiastici, iuris comparativi ecclesiastici, iuris romani et iuris statalis in rebus ecclesiasticis*<sup>4</sup>. Numerus docentium nunc constat ex duobus professoribus, quattuor docentibus, duobus praelentium et quattuor assistentium. Insuper *Facultas* in re didactica adiuvatur a docentibus in facultatibus universitatis. *Studia* peraguntur in cursu superiore et ordinario. Ad cursum superiorem solummodo qui studia theologica in aliquo seminario maiori absolvent admittuntur. *Cursus* hic tribus annis completur. *Studia* in cursu ordinario ab iis qui scholam mediam cum testimonio

*niensis praesenta* † A. Petrani, *Wydział Prawa Kanonicznego Katolickiego Uniwersytetu Lubelskiego i jego działalność dydaktyczno-naukową w ciągu ubiegłego pięćdziesięciolecia* (= *Facultas Iuris Canonici Catholicae Universitatis Lublinensis et eius activitas didactico-scientifica in praeteritis quinquaginta annis*), *Roczniki Teologiczno-Kanoniczne* 15 (1968) fasc. 5, 5-63. Cfr. etiam: J. Grzywacz, *Kronika Wydziału Prawa Kanonicznego 1944-1968*. In: *Księga jubileuszowa...*, o. c., 159-165.

4. *Moderatores cathedrarum iuxta ordinem enumerationis*: prof. W. Wójcik, doc. J. Krukowski, doc. J. Grzywacz, prof. J. Rybczyk, doc. P. Hempelek, vacat, doc. E. Przekop, vacat.

maturitatis peregerunt consecrari possunt, temen propter numerum clausum tantummodo decem candidati quotannis admittuntur. Studia huius cursus quinque annis per solvuntur. Anno academico 1976/7 cultores iuris canonici in registro studentium Facultatis lubliniensis enumerantur.

b/ *Facultas Iuris Canonici Academiae Theologiae Catholicae Varsaviensis*<sup>5</sup> orta est anno 1954. Tunc enim decreto praesidis Regiminis Poloniae e die 2.8. 1954 seiuncta est ab *Universitate Varsaviensi* facultas theologica et eius loco condita est *Academia Theologiae Catholicae* tribusculm facultatibus, scilicet *theologiae*, *philosophiae christianae* et *iuris canonici*. *Academia* est ergo *schola academica* statalis, ad munus tamen didacticum in ea obeundum missio canonica ab *Archiepiscopo Varsaviensi* qui insimul munere *Cancelarii Magni Academiae* fungitur elargita requiritur. *Gradus academici* ab *Academia* collati plenum valorem in foro status sed etiam in foro ecclesiastico habent<sup>6</sup>. *Facultate Iuris Canonici* octo *cathedrae* complectuntur: *historiae*

*fontium et litteraturae iuris canonici*, *historiae iuris canonici poloni*, *iuris romani*, *iuris civilis ecclesiastici*, *procedurae iuris civilis ecclesiastici*, *iuris poenalis ecclesiastici*, *iuris poenalis ecclesiastici eiusque procedurae*, *iuris publici et internationalis ecclesiastici* atque *iuris civilis statalis*<sup>7</sup>. *Corpus scientifico-didacticum* septem professoribus, quattuor docentium et septem assistantium constituitur. Iis adnumerari debent duo professores qui in *Facultate* uti in loco secundario occupati sunt sed tamen in *Facultate* plenis iuribus professorum gaudent. *Necessitatibus didacticis* *Facultatis* insuper collegae ex duabus aliis facultatibus *Academiae* atque sex studiosi aliunde venientes consulunt. *Studia* in cursu canonico vel canonico-historico vel canonico-civili persolvi possunt. *Curriculum* in cursu canonico et canonico-historico tribus, in canonico-civili quinque annis peregruntur. Ad cursum triennalem solummodo absolventes seminariorum maiorum admittuntur. *Studia* in cursu canonico-civili pro candidatis cum testimonio maturitatis scholae mediae destinata sunt et in duabus sectionibus

5. *Historiam, structuram et activitatem Facultatis Iuris Can. Academiae Theol. Cath.* describit M. Faka, *Wydział Prawa Kanonicznego*. In: *XX lat Akademii Teologii Katolickiej*, o. c., 240-301. *Structura facultatis, programma et curriculum studiorum* patefacitur etiam in: 'M. Pastuszko, *La Faculté de Droit canon, Bulletin d'information de l'Academie de la Théologie catholique* (1975) nr 1, p. 28-30; nr 2 p. 19-25; nr 3 p. 17-22. Cfr. etiam: J. R. Bar, *Praca naukowa Wydziału Prawa Kanonicznego w latach 1954-1964* (= *Activitas scientifica 'Facultatis Iuris Canonici 'Acad. Theol. Cath. annis 1954-1964*), Warszawa 1965, p. 162. De activitate scientifica in annis 1965-1970 idem auctor scribit in: *Działalność naukowa Akademii Teologii Katolickiej*, Warszawa 1971, pp. 384-521.

6. Ad mentem legis de die 31.3.1965 et de die 27.7.1969 in Poloniae gradus academici doctoris et

doctoris habilitati conferentur. *Academia Theologiae Catholicae* confert ad tramitem iuris gradus: in *Facultate Theologica* doctoris et doctoris habilitati theologiae, in *Facultate Philosophiae Christ.* doctoris et doctoris habilitati scientiarum humanisticarum, in *Facultate Iuris Canonici scientiarum iuris*. *Gradus doctoris habilitati* explanantur quoad disciplinam in qua gradus assecutus est. In *Facultate Iuris Canonici* semper specificatur: «in ambitu iuris canonici». *Valor ecclesiasticus graduum* ab *Academia Theologiae Catholicae* collatorum regulatur decreto *Congregationis pro Institutione catholica* de die 25.2.1974 et *Primatis Poloniae* de die 12.9.1974 (*Bulletin* 1974 nr 3, p. 5).

7. *Moderatores cathedrarum* sunt in ordine enumerationis: prof. J. R. Bar, prof. I. Subera, vacat, prof. M. Zurowki, prof. T. Tawluk, prof. M. Myrcha, prof. R. Sobanski, vacat.





procedunt, nempe in canonistico-civili et in administrativo-canonica, in altera largior cognitio iuris statalis adipiscitur. Ad cursum canonico-civilem quotannis solummodo decem laici admitti possunt, pro religiosis (similiter pro clericis) nullus numerus clausus existit. Pro clericis ministerio addictis institutum est curriculum studiorum in quinque annos ordinatum, cuius studentes singulis mensibus per duos dies conveniunt. Anno academico 1976/7 numerus studentium in facultate varsaviensi 142 personae explet<sup>8</sup>.

## 2. CATHEDRAE IURIS CANONICI IN PONTIFICIIS FACULTATIBUS THEOLOGICIS.

Cracoviae, Wratislaviae et Posnaniae Pontificiae Facultates Theologicae existunt iuribus academicis in foro solummodo ecclesiastico gaudentes. In unaquaque facultate cathedra iuris canonici fungitur<sup>9</sup> et ius canonicum ad disciplinas curriculum theologicum pertinet.

## 3. SEMINARIA MAIORA.

Ius canonicum docetur in omnibus seminariis diocesanis et institutis religiosis candidatos ad sacerdotium efformantibus. Finis et methodus huius studii in «Ratione institutionis sacerdotalis pro Polonia» sic describitur: «Expositio iuris canonici det

alumnis cognitionem integri ac universi iuris canonici cum pleniore notitia quaestionum ad operam pastorem aptiorum. In obligatorii iuris canonici expositione adhibeatur methodus exegetica simul cum annotatione principiorum dogmaticorum et correlationis theologico-moralis. Explanatorem potiorum institutionum iuridicarum praecedet brevis introductio historica, quae faciliorem reddat meliorem cognitionem evolutionis singularum institutionum iuridicarum. Expositionis quidem materia disponatur secundum ordinem Codicis iuris canonici ratione tamen simul habita iuris conciliaris et postconciliaris. Ad ius particulare Poloniae et cuiusque dioeceseos respiciatur in expositione singularum quaestionum iuris universalis». In programmata seminariorum praevidentur anno tertio studiorum duae horae expositionis iuris canonici in hebdomada, anno quarto et quinto tres horae singulis hebdomadis. Insuper anno sexto per unam horam singulis hebdomadis ius statale circa res religiosas ecclesiasticas exponitur.

## 4. SECTIO IURIS CANONICI.

Penes Commissionem Conferentiae Episcopatus Poloniae pro institutione existunt undeviginti sectiones pro singulis disciplinis ad programma studiorum ecclesiasticorum pertinentibus, inter has sectio iuris canonici. Ad munus praesidis unus ex profes-

8. In facultatibus iuris universitatum Poloniae non docetur ius canonicum. De statuto scientiae iuris canonici in Polonia annis 1918-1957 scripsit J. Sawicki, Die Entwicklung der Kirchenrechtswissenschaft in Polen 1919-1957, Osterreichisches Archiv für Kirchenrecht 9 (1958) 243-269. Multae informationes, praesertim bibliographicae, praebentur

in: T. Pawluk, Z zagadnien kanonistyki polskiej (= De problematis canonisticae polonae), Prowo kanoniczne 19 (1976) nr 3-5, 153-230.

9. Moderatores: Cracoviae — doc. T. Pieronek, Wratislaviae — prof. J. Rybczyk ex Univ. Lubliniensis, Posnaniae — prof. I. Subera ex Academia Varsaviensi.

soribus facultatis varsaviensis vel lubliniensis alternatim eligitur. Sectio in contagine cum omnibus canonistis Poloniae manet. Nomine canonistarum hoc in casu venient omnes ius canonicum in facultatibus, seminariis aliisque institutis ecclesiasticis docentes et etiam omnes qui aliquando studia iuris canonici rite persolverunt et nunc quamvis functionem exercentes problemata scientifica iuris canonici sibi non aliena putant. Coetus sectionis convocatur unacum Congressu Theologorum Poloniae qui quinto quoque anno celebratur, et praeterea interdum aliqua speciali occasione data.

Saepe canonistae Poloniae ad symposia organizata a Facultate Iuris Canonici Academiae Theologiae Catholicae invitantur. Conventus isti ter vel quater quotannis praeparantur et tunc semper circa quinquaginta personae conveniunt. Invitantur quoque professores exteri<sup>10</sup>.

## 5. EPHEMERIDES.

Facultas I.C. Academiae Theol. Catholicae ab anno 1958 periodicum trimestrale / apparet bis in anno, duobus numeris iunctis / «Prawo Kanoniczne» / = «Ius canonicum» / edit. Ad collaborationem admittuntur etiam, si 320 paginae numeri duplicis id possibilem reddunt, canonistae non ad facultatem pertinentes.

10. Ultimis quattuor annis hospites Facultatis fuerunt J. Beyer, P. Ciprotti, J. Gaudemet, K. Mörsdorf, W. Waldstein, E. Corecco, C. G. Fürst, W. Ayman, H. Schmitz P. Lombardia. Cum de contaginibus canonistarum Poloniae cum collegis aliis ex nationibus sermo est haud obliviscendum est canonistas polonos congressus internatonales et symposia participare et ibi saepe relationes vel communicationes proferre. Prof. J. Rybczyk (Universitas Lu-

Facultas I.C. Universitatis Lubliniensis uno numero ephemeridis sub titulo «Roczniki teologiczno-Kanoniczne» (=«Annales Theologico-Canonicae») quotannis utitur, ambitu 140 paginarum.

Canonistae insuper possibilitate gaudent articulos in periodicis omnibus disciplinis theologicis dicatis publicare, tum scientificis [e.g. «Zeszyty Naukowe KUL» (=«Fasciculi scientifici Catholicae Universitatis Lubliniensis», «Collectanea Theologica») tum magis popularibus (e.g. «Ateneum Kaplańskie» =«Athenaeum sacerdotale», «Homo Dei»). Hoc in loco mentionem facere liceat de quodam symptomate interessanti, nempe de annalibus editis a nonnullis seminariis dioecesanis, quorum annalium numerus iam undecim attingit<sup>11</sup>. In nonnullis annalibus problemata canonistica maiorem locum tenent quam id ex proportionibus disciplinarum in seminario expositarum sequeretur.

## 6. BIBLIOGRAPHIAE.

Ad studium iuris canonici facilius reddendum eduntur bibliographiae operum ius canonicum spectantium quae in Polonia lucem aspexerunt et etiam auctorum Polonarum quae extra Poloniam apparuerunt. Bibliographiae polonae iuris canonici complectunt spatium temporis ab initiis impre-

bliniensis) anno 1967 nominatus est consultor Pontificiae Commissionis Codicis Iuris Canonici recognoscendo, prof. M. Zurowski in coetu plenario die 12.9.1976 inter membra Consilii moderationis Consociationis internationalis studio iuris canonici promovendo electus est.

11. Plurima volumina ediderunt professores seminarii dioecesis warmiensis nempe quattuordecim volumina «Studia warminskie».





ssus usque ad dies nostras. Bibliographia publicationum usque ad annum 1940 in duobus voluminibus edita est a Catholica Universitate Lubliniensi<sup>12</sup>, bibliographiae operum annorum sequentium eduntur unacum bibliographia scientiarum ecclesiasticarum praeparata in Academia Theologiae Catholicae<sup>13</sup>.

#### 7. EDITIONES FONTIUM IURIS POSTCONCILIARIS.

Mentione dignissima et in Polonia revere necessaria est praeparata in Academia Theologiae Catholicae editio fontium iuris ecclesiastici postconciliaris («Posoborowe prawodawstw koscielne»). Usque adhuc in lucem emissa sunt octo volumina in viginti septem fasciculis (nonnulli fasciculi 400 paginas superant). In editione hac inveniuntur textus in lingua originali et in translatione polona omnium documentorum legislationis ecclesiasticae postconciliaris, incipiens a motu proprio «pastorale munus». Editio dirigitur ab E. Sztafrowski, docente in Academia. In eadem officina editoriali venit ad lucem collectio iuris postconciliaris particularis Poloniae, i. d. legum Conferentiae Episcopatus Poloniae et ordinariorum quas quinque in fasciculis

collegit T. Pieronek, olim assistens in Facultate Iuris Can. Academiae, nunc in Facultate Pontificia Cracoviensi docens<sup>14</sup>.

#### 8. MANUALIA.

Iam anno 1948 in quarta editione apparuit manuale prof. I. Grabowski (pp. 720). Anno 1958 domus editorialis S. Crucis in Opole clero et studentibus obtulit novam, tertiam editionem ab J. Baron et W. Stawinaga praeparatam, magni pretii manualis F. Baczkowicz, tribus in voluminibus<sup>15</sup>. Manuale istud serviebat generationibus clericorum Poloniae. Illo exhausto Facultas Iuris Canonici Academiae Theologiae Catholicae consilium cepit manuale iuris canonici in separatis fasciculis de novo omnino edere ut - sicut legimus in praefatione ad lectorem «prae oculis utique tam progressu iuris canonici ultimis documentis Vaticani II Sedisque Apostolicae habitis atque ita omnibus quorum interest sive scientificum sive practicum subsidium praebeatur». Facultas viros in iure canonico versatos petiit ut unusquisque partem sibi propriam praepararet. Conspectus generalis totius operis ita ordinatus est (fasciculi iam editi indicentur cum auctore et anno apparitionis):

12. J. R. Bar, W. Zmarz, Polska bibliografia prawa kanonicznego od wynalezienia druku do 1940 roku, v. I: Lublin 1960, pp. 284, v. II: Lublin 1947, pp. 355.

13. J. R. Bar, R. Sobanski, Polska bibliografia teologii i prawa kanonicznego za lata 1949-1968, Warszawa 1972, pp. 455; J. Bar, Polska bibliografia teologii i prawa kanonicznego za rok 1969, Warszawa 1971, pp. 70; R. R. Bar, Polska bibliografia teologii i prawa kanonicznego za rok 1970, Warszawa 1972, pp. 80; J. R. Bar, R. Sobanski, Polska bibliografia nauk koscielnych za rok 1971, Warszawa

1973, pp. 104; R. Sobanski, Polska bibliografia nauk koscielnych za lata 1972-1973 (sub prelo).

14. Cum de editionibus fontium sermo est animadverti debet de publicationibus fontium iuris antiqui poloni, praesertim de editione statutorum Nicolai Traba ex anno 1920 /ed. F. Fijalek, A. Vetulani, Kraków 1951, atque de decem voluminibus editionis «Concilia Poloniae» praeparatae a J. Sawicki.

15. F. Faczkowicz, J. Baron, W. Stawinaga, Prawo kanoniczne. Podrecznik dla duchowienstwa (= Ius canonicum. Manuale pro clero), Opole 1958, v. I-III, pp. 785, 659, 758.

Tomus I: Fontes, normae generales:

f.1: Fontes Iuris Can. et historia scientiae I.C. (I. Subera, 1970);

f.2: Elementa iuris ecclesiastici Status Poloniae;

f.3: Normae generales (R. Sobanski, 1969);

tomus II: De personis:

f.1 Principia generalia de personis in Ecclesia. De clericis in genere (M. Zurowski, 1968);

f.2: De potestate ordinaria et delegata (M. Zurowski, 1970);

f.3: De clericis in specie (pars I — M. Zurowski, 1970, pars II — E. Sztafrowski, 1968 ed. II 1977).

f.4.: De religiosis, de laicis (J. R. Bar, 1968);

tomus III, De rebus:

f.1: De sacramentis (J. Grzywecz, 1968);

f.2: De matrimonio (S. Biskupski, M. Zurowski duo fasc., 1971);

f.3: De locis et temporibus sacris (E. Stafrowski, 1970);

f.4. De cultu divino, de magisterio (J. Grzywacz 1969);

f.5: De officiis et beneficiis, de bonis Ecclesiae temporalibus (S. F. Pasternak, 1970).

tomus IV: De processibus, de delictis et poenis:

f.1: De iudiciis in genere (T. Pieronek, 1970);

f.2: De normis peculiaribus (T. Pawluk, 1971);

f.3: De causis beatificationis et canonisationis (J. Zubka, 1969);

Omnes fasciculi totaliter exhausti sunt.

Insuper edita sunt manualia historiae iuris particularis Poloniae (I. Subera, 1971), Theologiae iuris ecclesiastici (R. Sobanski, 1973), processus matrimonialis (T. Pawluk, 1973 et 1975).

Actualiter praeparatur novum manuale iuris canonici duobus in voluminibus, quorum primum iam clero et studentibus prodest<sup>16</sup>.

16. E. Sztafrowski, Prawo kanoniczne w okresie odnowy soborowej (=Ius canonicum tempore renovationis conciliaris), Warszawa 1976, pp. 604.